



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Unius Necessarii pars ...

Ubi agitur De Cognitione Dei - Quanti nimirum momenti illa fit, & quibus
praesidiis obtineri ab unoqueque hominum possit

Rogacci, Benedetto

Pragae, 1721

Caput III. Colligitur ex hactenus dictis, quàm ardens, & commune in
hominibus esse deceat cognoscendi Dei studium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54487](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54487)

feliciter adeò immutatum? tantò nimirum meliorem te ipso, à terrenis puriorem affectibus, tranquilliorè à perturbationibus animi, & ad omnia interioris vitæ exercitia paratiorè & compositum magis? nullum finem faciens celebrandi faustissimum diem, quo cælesti huic Philosophiæ incœpisti vacare, deque ipsa profitendi, quod Hebræus ille olim profitebatur sapiens: *Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa, & innumerabilis honestas per manus illius. Et lætatus sum in omnibus, quoniam antecedebat me ista sapientia: & ignorabam, quoniam horum omnium mater est. (Sap. 7.)*

C A P U T III.

Colligitur ex hæctenus dictis,
quàm ardens, & commune in hominibus esse deceat cognoscendi
DEI studium.

Conclusio, quam hujus capitis titulus præfert, ex duorum præeuntium doctrina planè adeò & per se subsequitur: ut supervacuum videretur, in ea ulterius demonstranda immorari, nisi necessarium id faceret mira quædam in plerisque hominum vecordia, & stu-
C pi-

piditas: qui, quanquam & sciendi avidissimi suapte naturâ sint; & objectum in DEO habeant, præ omnibus aliis sciri dignissimum; credi tamen vix potest, quàm negligentem, remissivumque animo sint, ad illius sibi comparandam scientiam: adeò ut de nulla re alia minùs cogitent, nullius investigandæ, addiscendæque minorem præferant curam: sique fortè mentionem de illo inferri audierint, loco perpotandi siticulosa aure cæleste illud nectar, præque nimia delectatione exclamandi, *Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo?* nullo dictorum sensu afficiantur: sed perinde quasi peregrino quopiam sermone verba fierent, vel non audientium, vel non percipientium vultu adsint, oscitabundi interim præ fastidio, jamque huc os, jam illuc torquentes, & intrà se mussitantes, *Nauseat anima nostra super cibo isto levissimo.* At undenam, quæso, hic interioris palati stupor, ad pabulum tam salubre, tam jucundum, tam nobile, cumque nostro rationali appetitu tam congruens? Ii certè nos sumus, quos nulla capit satietas percontandi, audiendique de magnorum Regum negotiis, consiliis, atque eventis, tanquam de rebus, ob personarum excellentiam, indagatu, & scitu maximè dignis. Atqui nonne DEUS Princeps est, immenso

in-

intervallo mortalium quorumvis Regum majestatem exuperans, & cui naturali necessitate ità subditi sumus; ut per gratuitam Baptismi adoptionem, illius quoque filii evaserimus? Cur ergo nullâ tangimur curâ pernoscenti, quoad liceat, illius naturæ eminentiam, perfectionum decora, imperii laxitatem, regiminis rationem, operum magnitudinem? Si dulcedo res novas cominus explorandi animum stimulet; nullum iter videtur longum, nullæ graves impensæ, nullum non tolerabile incommodum. Valere ultro Patriam jubemus, nullis metuimus objectare seu maritimis, seu terrestribus periculis caput, plures nostrâ sponte pererramus regiones, quàm adversis cogentibus fatis, Homericus Ulysses lustraverit. Et tamen quidquid variarum notionum toto illo discursu quæsitum fuerit, nihil ferè aliud potest vocari, quàm sterile curiositatis, generosæ quidem, sed inutilis pabulum. Quare igitur per intelligibilem Divinæ immensitatis mundum spatari mentis gressibus piget: qua in peregrinatione & multò minus exhauritur laboris; & veritatum passim occurrentium admirabilis novitas, præter oblectationem longè suavissimam, inestimabiles simul fructus animo parit? Utcunque proletarium & ignobile objectum aliquod sit,

C 2

cujus-

cujusmodi pleraque negotiorum ad rem familiarem spectantium pars est; si tamen ignorari absque gravi rationum nostrarum detrimento nequeat, vix ullus vel desidiosæ adeò, vel superbæ indolis fuerit, quin de illo sollicitè inquirat, accuratèque, & ad plenum edoceri laboret. At numquid vel dubitare possumus, quin ultimi finis nostri affecutio, plùs omnibus aliis rebus & curis nostrâ intersit; vel non satis jam vidimus, ad felicem tanti negotii exitum nihil majori præsidio nobis esse, quàm summi Boni scientiam, nihil majori impedimento, quàm ejusdem inscitiam? Quare ergo de causa illius cognoscendi studium, in quo summæ utilitati par respondet nobilitas, minimè nobis curæ est, oblivioni & neglectui traditur? Trahunt nos ad sui investigationem objecta terrena, quamvis nonnisi una quapiam ex prærogativis suprâ allatis commendentur: & non trahet illud supremum ac cælestè objectum, in cuius commendationem eæ omnes conspirant? Studiosè aucupamur scientias, quæ vel mediocrem nobilitatis præstantiam, vel tantillæ admirabilitatis speciem, vel remotam nobiscum cognationem, vel exiguam nostris usibus serviendi virtutem præferunt: nihilque de scientia DEI laboramus, quæ totam, quantacunque esse potest, singu-
la.

larum hujuscemodi dotium perfectionem una complectitur? Quidnam hic responderi potest? aut quæ non dicam vera, sed verisimilis ratio tam absurdæ novitatis, studiorumque adeò inter sese dissidentium afferri?

2. Ah nimum, plusque nimio isthæc agendi ratio contumeliosa DEO est. Fingamus, age, Sabam illam, quæ suo è regno Hierosolymam contendisse in sacris Literis traditur, toto, quod ibi egit, tempore, alia omnia sollicitè inquirentem, unius Salomonis agnoscendi omnino incuriosam fuisse, adeò ut illo nè obiter quidem viso, suas ad sedes redierit. An non per hujuscemodi incuriam palmari affectus contumeliâ gloriosissimus ille Princeps fuisset? Fuisset haud dubiè: cum, qui præ omnibus aliis regiæ suæ urbis spectaculis merebatur requiri, externæque curiositatis ad se oculos rapere; unus contra esset neglectuû habitus, unus nullo obtutu dignus habitus. Quidni ergo similem DEO injuriam facere dicendus sit, qui in hoc universitatis theatro, singulas quasque rerum obviarum species curioso indagatu perlustrans, unum ipsum omnium authorem, & creata quævis decora excellentiori longè modo in se continentem, fastidit respicere, neglectumque, & inobservatum à tergo relinquit? (*Matt. 12.*) *Ecce plus-*

quam Salomon hic. Præterea, cum ex DEI munere habeamus, ut simus, neque brutum pecus, sed intelligendi & ratiocinandi capaces simus; quodnam tenuius grati animi specimen beneficentissimo Conditori exhibere possumus, quàm si studeamus eum nosse? Hoc certè studium vectigal illud est, quod à D. Eucherio monemur DEO esse inprimis solvendum. (*Ep. ad Valer.*) *Primum in lucem editi hominis officium est suum cognoscere authorem, cognitumque suspicere.* Atque hæc proinde prima esse deberet singulorum hominum cura, statim ac ratione uti incipiunt: ceu clarissimo Ecclesiæ lumini D. Thomæ Aquinati, prima fertur fuisse: qui, vel puerulus, & Grammaticæ duntaxat auditor, (*Hist. Cast. I. p. L. 3. c. 10.*) nihil cupidius sciscitari à Magistro solebat, quàm, quid esset DEUS, nesciens expleri audiendo, nullumque finem faciens ruminandi, & mirandi secum, quæ audierat. Quàm ingratum igitur suo authori se prodit, qui neque hujus generis cultum, quamvis & facillimum, & ante omnes alios debitum incomparabilibus illius meritis reddit.

3. Excusari tamen aliquatenus posset, ac culpabilis minùs videri hic tam, justii officii neglectus, si saltem ad rei nostræ amplificationem, nonnihil conferret. Sed enimverò

tam

EI tam apertè id falsi convincitur, imò tam per-
 spicua contrarii veritas patet; ut non modò
 nulla ex parte hinc decrescat, verùm multò
 adhuc major fiat culpa. Nam, cùm infinita
 adeò DEI dignitas sit; ut ejus notitiam, vel
 quantovis cum nostrarum rationum dispen-
 dio deberemus quærere; nè à gravissimi qui-
 dem dispendii nostri metu ad eam quæren-
 dam impellimur. Et verò obscurane, & le-
 via sunt damna, quæ ex illius ignoratione no-
 bis proveniunt? In primis nemo mihi vel
 mediocriter prudens negaverit, mentem no-
 stram, quemadmodum veritatem pro pecu-
 liari suo fine, ideòque pro peculiari etiam bo-
 no suo habet; sic ab omni veritate, cujus no-
 titiam assequatur, aliquod perfectionis in-
 crementum recipere, & tantò illud ab una-
 quaque amplius; quantò hæc fuerit suapte
 naturâ excellentior. Porrò inter primam
 veritatem, quæ DEUS est, & reliquas omnes,
 quæ creatum aliquid menti offerunt, nulla
 potest comparatio circa naturalem excellen-
 tiam institui. Illa Regina est; hæ ancillarum
 turba: illa ultimus finis; hæ instrumenta con-
 sequendo fini utilia: illa pabulum immensæ
 ubertatis, quòdque mentis non solùm appeti-
 tui sufficiat, verùm etiam satietati superfit; hæ
 tenuis quædam degustatio, quæ aviditatem

sciendi irriter potius, quàm expleat. Ut proinde D. Augustinus, animadverso, quantum illa una his simul universis præcellat; nil dubitet, miserum, qui reliqua præter DEUM omnia, felicemque, qui unum ex omnibus DEUM norit, vocare. (L. 5. Conf. c. 4.) *Infelix homo, qui scit illa omnia, te autem nescit. beatus autem, qui te scit, etiamsi illa nesciat.* His itaque extra controversiam positus, quonam pacto existimari potest non pessimè is sibi consulere, qui, cum locupletare mentem suam queat, primi illius divinique Veri scientiâ, *infinito* nimirum, ceu in sacris Literis nuncupatur, (Sap. 7.) *thesauro*; infarcire illam potius supervacuis, & vulgaribus creaturarum rerum notionibus studet? Nónne multò id detrimentosius quilibet dixerit; quàm si mercator, cui Peruvianæ auri fodinæ patere, & plenissima adesset facultas onerariæ suæ pretiosis earum gazis complendæ, tanto, tamque facili lucro posthabito, cumulare illam luto, aut lapidibus mallet?

4. Adde huc, quòd, cum nati nos simus, haudquaquam *solis & cæli videndi gratiâ*, (Lact. L. 3. c. 9.) ceu de se Anaxagoras profitebatur, sed ut ipsum coram intueamur solis, atque cæli Effectorem; quemadmodum in mortali hoc exilio nil patimur tristius, quàm quod à
bea.

beatissima illius visione prohibemur; sic nostram hujuscemodi ærumnam nullo alio pacto graviolem nobis possumus reddere, quàm si, quem intueri palàm nequimus, neque in remota, obscuraque cognitione habemus præsentem. Hinc siquidem, ceu nimbosam per noctem omni extincto, quàm siderum jubare, funestæ adeò mentis cæcitas oritur; ut quævis divinarum rerum paulò intelligentior anima existimatura illam sit vel morte pejorem. Si enim animabus hujusmodi prolixæ mortis genus videtur, longè ab aspectu summi Boni atque pulchri in terris vivere, tametsi ejus præsentiam, contemplandis interea illius imaginibus, sibi aliquatenus suppleant; quidni tristioris, ac geminæ mortis locò eorum vitam ducent, qui communem illum divinæ visionis defectum, tanquam si parvi aliquid, & facilè tolerabilis mali esset, nè hoc quidem supplemento, & solatio sibi studeant lenire? Aut quomodo non perhorrescent ad solam considerationem tam miseri statûs: nullum facientes admirandi finem; & vix sibi persuadentes, reperiri aliquem, qui à vera sui animi vita adeò usquequaque disjunctus, vivere aut velit, aut possit? Vel Seneca, solo humanæ rationis ductu eò processit; ut diceret, deficiente homini rerum divinarum intelli-

gentiâ , omne eidem vivendi pretium deficere: sique hoc fructu carendum sibi esset; nihil causæ futurum, quare natum se vellet. *Nisî ad hæc admitterer; non fuerat operæ pretium nasci. Detrahe hoc inestimabile bonum; non est vita tanti (Præf. L. I. Nat. Qu.)*

5. Adde præterea, quòd DEI scientia ita divinæ visionis supplementum aliquod, & quasi compensatio quædam in præsentis vita est; ut præcipuum quoque sit instrumentum ad eandem in futura immortalitate obtinendam. agnoscentes siquidem, quàm incomparabilis sit supremi illius Boni magnitudo, & præstantia nihil experimur facilius, quàm ardens illius desiderium concipere, præque illo mortalia quævis bona aspernari. Unde consequi deinde solet facilitas, tum fortiter repellendi, quæ ab illo nos avocant, vitiorum illecebras; tum alacriter capessendi Christianæ sanctitatis femitas, quæ ad illius acquisitionem nos ducunt. Cùm è contrario, si æterni solis, divinæque illius scientiæ lux animo desit; (*Is. 59.)* *Palpemus quasi cæci, impingamus meridie, quasi in tenebris: Nec pedem attollere, & promoverè gressum queamus, sinè manifesto discrimine deflectendi à salutis via, inque errores fœdissimos, ac scelerum præcipitia ruendi.*

6. Et

6. Et quisquam porrò erit, qui, hæc rite perpendens, etiamnum pati, ac fovere in animo pergat inscitiam, usque adeò cum honori divino, tum propriæ utilitati adversantem? Ah, nisi omne penitens rationis jubar, omnis DEI respectus, omne boni nostri studium in nobis defecit; excutiamus aliquando animos à torporis tam indigni, tamque noxii veterino: neque ignotum esse nobis patiamur diutius supremum, æternumque illud Verum, cujus contemplandi gratiâ procreati sumus: quo nullum vel nobilius, vel delectabilius, vel salubrius mentis pabulum reperire usquam alibi possumus, cujusque in perceptione omnis posita est animorum nostrorum perfectio, & felicitas: sed, animadvertentes potius, quàm & ipsum mereatur assiduè à nobis spectari, & nobis expediat in eo spectando assiduos hærrere; decernamus jam nunc, ipsum deinceps habere pro singulari, & præcipua nostrorum studiorum materia: neque ideò permittere, ut terrena ulla seu oblectamenta, seu negotia nos avocent, quo minùs certum aliquod diebus singulis tempus in meditatione, & lectione, ad ipsius scientiam necessaria, expendamus. Justum quippe est; ut, secundum legem à D. Eucherio propositam, (*Ep. ad Val.*) *primas apud nos curas, quæ pri-*

*prima habentur, obtineant, & minoris pretii ac
 momenti studia omnium potissimo haud gra-
 vanter decedant. Quod si aliarum rerum huma-
 narum curæ tumultuari auderent, missantes,
 plus justo à nova scientia sibi temporis furri-
 pi; respondere hujus nomine illarum queri-
 moniis poterimus, quod Alexander olim
 Macedo civitati cuidam, dimidiam agri sui
 partem illius imperio offerenti, respondit:
 non ità videlicet sese animo comparatum illò
 accessisse, ut parti acquiesceret, quàm indi-
 genæ sibi ultrò offerrent, sed ut hi potius pro
 lucro haberent, quod à se iis relinqueretur.
 (Sen. Ep. 53.) Eo proposito veni in Asiam, non ut
 acciperem, quod dedissetis, sed ut id haberetis, quod
 reliquissetis. Tantòque justius hoc responsi
 genere contra earum oblocutiones uti nobis
 licebit; quantò æquiori jure divina Sapiencia
 totum sibi vindicare tempus, atque studium
 hominis potest; quàm totam sibi usurpare
 Alexander Asiæ ditionem posset: quantòque
 minus arrogantia præferrebant ii cives, par-
 tem aliquam ei concedendo, qui poterat per
 vim totum auferre, quàm terrena præfer-
 rent negotia, renuendo vel partem ei cedere,
 quæ legitima totius domina est. Responde-
 amus ergo indignabundis, seque justo arctius
 circumscribi dolentibus. Quænam vestra ist-
 hæc*

hæc sunt lamenta, occupationes humanæ ? nimium divina Sapiencia sibi temporis sumit. Injustè de illa quereremini, vel si sumeret totum. At parum propterea ex eo nobis superest. Perinde quasi plus deberetur: aut quasi hoc ipsum parum jure illa potius, quàm gratuita largitate vobis relinqueret. Si tantisper disquirere vobiscum instituatis, quidnam vos quidve divina sit Sapiencia? næ fateri ultrò cogemini, illam dominam, vos illius famulitium, illam finem, vos nonnisi mera instrumenta illius esse. Et justum videri nobis potest, ut Domini potius ad famulorum opportunitates; quàm hi ad illorum usus se accommodent? Nec palàm perspicitis, quàm præpostera, & naturæ institutis omnino contraria res foret, si instrumenta, loco recipiendi leges à fine; illi potius præscriberent, quid, quomodo, & quamdiu agat? Ah desistite, si quid rationis, pudorisque vobis superest, desistite, moneo, à postulationis tam absurdæ insolentiâ: nec exigui muneris locò ducatis, hanc accipere quantamcunque temporis partem, quæ cælestis Philosophiæ usibus superest: persuasum habentes, neque hanc ipsam vestri juris respectu atque gratiâ vobis concedi, sed quia illi minùs est necessaria: cui si toto opus esset; totum etiam sinè cujusquam
in-

injuria assignari posset, imò & deberet. In summa, velitis, nolitis; ferenda vobis conditio est, quàm ipsius nomine Seneca edixit: *Non sum id tempus acceptura, quod vobis superfluum erit: sed id habebitis quod ipsa erogaverit.* (Ep. 53.)

7. Sic, inquam, respondeamus negotiosis ad res humanas, & præsentem vitam spectantibus: hancque servemus libertatem præferendi eorum cuilibet divinæ studium Scientiæ. Quod ut alacrius faciamus; operæ pretium erit respicere, quantâ contentione ad cæleste hoc studium sancti quique Viri incubuerint: ut nobilissimam hujusmodi occupationem nullis non præhabuerint oblectamentis atque curis mortalibus: ut totos ei dies, & bene magnam noctium partem suavissimè impenderent: ut neque, in iis obeundis, quæ maximè necessaria sunt vitæ officiis, ab ea prosequenda cessarent, perinde quasi unica hæc eorum requies, & vita esset: ut singuli denique proprios sibi fecisse, & agendo exprimere viderentur illos de divina Philosophia Hebræi sapientis magnificos sensus. (Sap. 7.) *Invocavi, & venit in me Spiritus Sapientiæ: & præposui illam regnis, & sedibus, & divitiis nihil esse duxi in comparatione illis. Quoniam omne aurum in comparatione illius arena est exigua, & tanquam lutum æstimabitur argentum*

in conspectu illius. Super salutem & speciem dilexi illam, & proposui pro luce habere illam: quoniam inextinguibile est lumen illius. Proderit, ut agebam, hos eorum tam ardentem, atque assiduos conatus respicere. Palàm quippe in exempli tam illustris luce intuebimur, quàm dedecet, grave nobis videri, vel exiguam nostri studii, atque temporis partem in cælestis illius mercis pretium expendere; pro qua comparanda universam vitam, suasque omnes curas, & vires bene expensas putaverunt.

8. Neque minùs validum calcar, ad nostram incitandam solertiam fors erunt profanorum sapientum exempla. Quis enim prodignitate explicet, quanto illi ardore atque nisu rerum naturalium scientiam quæsierint? En ibi Carneadem, qui neque mensis accumbens suas contemplationes abrumpebat: (*Val. Max. L. 8. c. 7.*) adeò in iis tota mente occupatus; ut oblivisceretur, ad cibos capiendos manum protendere. En Cleanthem, qui, coactus à paupertate mercenariis laboribus sibi victum parare; invenit nihilominus, quod Philosophiæ etiam parandæ impertiri tempus posset; (*Plut. de vit. Fæn.*) Noctibus quidem trifatili molæ versandæ, pèrque diem indagandæ veritati operam navans. En Euclidem Megarenses, tantâ Socratis audiendi cupi-

pi-

pidine incensum; ut quamvis capitale suis civibus foret Athenas intrare; (*Gel. L. 6. c. 10.*) illuc tamen è patria, discendi studio periculi metum vincens, pluries itaret. En demum, nè longior sim, Archimedem, cui neque omnis direptæ ab hostibus patriæ tumultus, neque districtus supra caput ensis à geometricis suis studiis avocare mentem potuit: quoad; inter ea trucidatus, *Sanguine suo artis suæ lineamenta confudit*: (*Val. Max. L. 8. c. 6.*) plus penè dolens inchoatæ speculationis, quàm ipsius vitæ sibi filum abrumpi. Quidnam, quæso, ad hæc dicimus? *Si tanti vitrum; quanti margaritum?* (*Tertul. ad Mart. c. 4.*) Si vulgaris naturalium doctrinarum, vitri nempe ignobilis, splendor tanto in pretio apud Sapientes hos fuit, dignusque iis visus est, quem humanis quibusque rebus præferrent, & nullo non laborum impendio sibi licitandum censerent; quàm extremo esset nobis pudori, minoris æstimare, & segniori studio quærere inæstimabilem gemam illius cælestis scientiæ, ad quam reliquæ omnes, veluti ad finem suum referuntur, cujusque ceu objectum, sic & pretii mensura DEUS est?

9. Sed duo interim genera mihi videor audire, qui rationibus inter se oppositis suam sacræ hujus Scientiæ comparandæ incuriam

excusatum eant. Excusant se alteri, eò quòd DEI interior cognitio res sit nimium abstrusa, suòque captu major, & quam non nisi lynceo mentis acumine à natura instructis consequi liceat. Excusant contra alteri, quia illam consecuti jam sint: utpote qui probè noverunt, DEUM esse primum omnium principium, atque ultimum finem, æternum, immensum, omnipotentem, infinite perfectum, & quidquid præterea de illo credendum orthodoxa Religio proponit. Atque ità, cum utrique sibi invicem contradicant; utrique tamen simul adversus inculcatum hic à nobis noscendum DEI studium conspirant: tanquam studium rei, vel nunquam obtinendæ, vel jam dudum obtentæ; minim'que ideo vel sufficiens, vel necessarium. Quæ si verè ab iis jactarentur, frustra hoc ego argumentum mihi suscepissem tractandum, nihilque esset causæ, cur ultra in eo vellem oleum & operam perdere. Sed enim verò tam non inutilis labor meus est; quàm inanes nulliusque momenti eorum rationes. Utque à posteriorum prætextu refellendo ordiar; vel si nullum aliunde indicium extaret, quo probaretur parùm illos intelligentes DEI esse; ex hoc ipso manifestum fieret, quòd eum satis à se intelligi prædicant: eum, quantò quisque ulterius, progreditur in

D

supre-

supremæ illius naturæ notitia ; tantò etiam clariùs perspiciat infinitam , quæ ibi emetien- da usque superest , spatiorum amplitudinem. Si libet cognoscere , inquit sanctus Pontifex Leo , parùmne , an multum in cælesti hac sci- entia quispiam profecerit , nè aliud ab eo ex- quirendum putetis ; nisi qualem , demissimè , an exaggeratam , de suo ibi profectu opinio- nem in mente habeat : pro certo statuentes , neminem in hujusmodi studio posteriorem esse , quàm qui illud emensus sibi totum vide- tur : neminem ampliores processus fecisse , quàm qui à meta se longissimè abesse , vixque egressum è carceribus putat. (*Serm. 9. de Nativ.*) *Nemo ad cognitionem veritatis magis propinquat , quàm qui intelligit , in rebus divinis , etsi multum proficiat , semper sibi superesse , quod quærat.* Quor- sum mihi igitur jactitant , divinas se omnes prærogativas , & proprietates in numero habere ? Perinde quasi ad exactam objecto- rum tam sublimium intelligentiam nihil ultra opus foret , quàm nuda posse reddere , & ut- cunq̃ue explicare illorum vocabula. Glo- rientur potiùs , intimam eorum significatio- nem secundum omnes suos numeros , & quàm clarissimè fieri potest , perspectam se habere. tunc enim fatebor , nullo ipsis circa DEI sci- entiam ulteriori studio opus esse , utpote ad
sum.

summam illius arcem provectis. At, si gloriatio hujuscemodi vim & præstantiam creatæ cujuslibet mentis supergreditur, deque infabilibus iis prærogativis nunquam sciri tantum potest, quin immensò plus sciendum superfit; cur in qualicunque illarum notitia acquiescunt, nec novis usque, & novis conatibus amplificare, & perficere hanc student? Næ præclare nobiscum ageretur, si tota vis grandium eorum nominum, æterni, necessariò existentis, à nullo procreati, immensi, infiniti, paucis ità verbis includi, atque exprimi posset, ut perinde esset eorum definitionem scire, ac ea omnino comprehendere. Labyrinthi finè ullo exitu, maria finè ullis litoribus sunt: ubi creata quævis, vel Angelorum, nedum hominum, mens invenire semper potest, quò ulteriùs se extendat, quidque novi condiscat: sed nullo unquam vel æternitatis totius tempore omnimodam immensissimi sui objecti scientiam nancisci: imò neque tantum in ea promoveri, quin, post quantoscunque processus, incipienti similis sit, inque ipso studii sui limine ac vestibulo videatur consistere. *Cùm consummaverit homo: tunc incipiet.* (Eccli. 18.) Fateor quidem, divinam Essentiam, pro sua absolutissima simplicitate, non posse aliquatenus cognosci, ali-

quatenus ignorari, sed, ceu partibus omnino carentem, à nostra intellectuione vel minimè, vel totam attingi. Nego tamen, quod errorum magister Eunomius, adversus certissima cum orthodoxæ fidei, tum humanæ ipsius Philosophiæ placita, indè eruebat; perinde esse quomodolibet illam mentè attingi, & omnino comprehendì. Neque enim ad plenam objecti comprehensionem sat est, illud totum agnoscere, nisi etiam cum tota, quæ ipsi congruit, claritate agnoscat. Cujusmodi claritas (prout suo tempore ac loco monstrabitur) in nulla DEI cognitione inveniri potest, nisi in ea, qua ipsemet sese intelligit. Quapropter, ceu nemini ad summam hanc aspirare illius cognoscendi perfectionem licet; ita convenientissimum unicuique est, laborare & conniti, ut, quos maximos potest, divino adjutus lumine, in ea faciat progressus. Atque hoc illud est studium, quod ego omnibus, seu docti, seu rudes, seu ingoniosi, seu hebetes sint, persuadere contendo, cujusque indigentem nemo se inficiari, nisi arrogantissimus, potest: indefessum videlicet studium, altiùs intrà mentem defigendi, clarioremque in dies efficiendi, & vividam magis qualemcunque illam DEI notitiam, quam, ex communi Christianæ fidei institutione, hau-

stam

nam in suis animis gerunt. Dicente enim Prophetâ: *Querite Dominum, & confirmamini, querite faciem ejus semper; nemini præsumendum est, quod totum quod quærit, invenerit, nè desinat propinquare, qui cessavit accedere. Nam qui se ad id, quod tendit, pervenisse præsumit; non quæsitâ reperit, sed in inquisitione deficit.* (S. Leo Serm. 11. de Pass. & 8. de Nativ.)

10. Reliquum esset, ut, iis confutatis, qui per falsam animi præsumptionem sat plenâ DEI scientiâ instructos se venditant; alios jam refellere aggrederer, qui per nimiam timiditatem, & socordiam DEI scientiæ se minimè idoneos queruntur: útque ad illorum arrogantiam deprimendam ostendi, neminem reperiri tam excellentis ingenii, doctrinæque hominem, qui à plena DEI cognitione non longissimè absit; sic, ad jacentes horum animos justâ confidentia erigendos, ostenderem, neminem quoque existere tam indoctum, atque hebetem, qui in eadem multùm progredi nequeat. Sed commodiùs in sequenti capite id fiet.

